

9027
1794.9.
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

VENDITO NVLLITER PIGNORE A CREDITORE DEBITVM SIT EXTINCTVM.

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBL. ORD. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURGENS.
SOCIO.

IN AUDITORIO JVRIDICO

DIE IX APRIL. ANNO CLOCCCLXXIIII.

DEFENDET

CAROLVS GOTTFRIED FIEDLERVS

Z SCHOPAV.

LIPSIAE
EX OFFICINA BÜSCHELIA.



AN
PIGNORE NVLLITER VENDITO
A CREDITORE
DEBITVM SIT EXTINCTVM.

§. I.

Est ea pignorum ratio, vt securus de credito suo reddatur creditor, ni principale debitum soluat debitor, cuius causa jus pignoris constitutum est. Exerit se illa securitas inaxime in hoc, vt, debitore non soluente, creditor pignus vendat justo pretio, atque ex hoc suum consequatur. Sed in illa pignorum venditione varia obseruanda, quae neglecta, creditoris

) (2

noci-

numento esse possunt. Quanquam enim creditor, si de vendendo pignore debito non soluto, pactus sit debitor cum credito e. pignus vendere impune potest, dummodo justo pretio fiat venditio; tamen non acque licebit pro arbitrio vendere, si vel pactus non sit creditor cum debitore, vel pactus quidem, at in eum modum, ne vendat rem oppignoratam creditor. Si enim nihil pactus sit creditor cum debitore, antiqua de denunciacione silent jura, atque absque dubio creditori vendere licuit post contractam moram, nisi statuamus denunciationem fuisse necessariam, quod ex auctoritate Rescripti ALEXANDRI in L. 4. C. de distr. pignor. conjiciendum. At vero IVSTINIANVS in L. 3. §. 1. C. de jur. domin. impetr. sanctione constituit: *Si nulla pactio intercesserit, licentia dabitur foeneratori ex denunciatione vel ex sententia judiciali post biennium ex quo attestatio missa, vel sententia prolata est numerandum, eam vendere.* Denuncianda ergo debitori venditio, eaque facta post biennium dein venditio permissa. At si pactum adjectum, ne venditio fiat: teste VLPIANO in L. 4. ff. de pignor. action. tria denunciatione facta, recte vendi poterat a creditore,

§. II.

Quid si ergo creditor, quod moram contraxerat debitor in reluendo pignore, neglecta denunciatione lege praescripta, pignus vendat, *an nulla sit venditio.* Et plerisque negandum videtur, imo adfirmant creditorem actione pignoratitia convenientem. Ita sane judicasse videtur. Imp. ALEXANDER in cit. L. 4. C. de distract. pignor. Rescript: *Creditor hypothecas sue pignus cum proscriptis, notum debitori facere & sibi bona fide rem gerere, & quando licet, testato dicere debet. Si quid itaque per fraudem in pignore villaee venditae, commissum probare potes; ut inferatur actio, quae eo nomine competit, adi eum, cuius de ea re notio est, & consentit*

tit GORDIANVS in L. 7. C. eodem. Rescribit: *Si cessante solutione creditor non reluctantate lege contractus, ea quae hibi pignori nexa erant, distraxit: revocari venditionem iniquum est: cum si quid in sa re fraudulenter fecerit: non emitor a te, sed creditor conueniendus sit.*

Videtur vero ab GORDIANO dissentire ALEXANDER Imperator in L. 1. C. *Si vendit, pignor. agat.* GORDIANVS enim emtorem pignoris conveniri posse expresse negat, cum contra ALEXANDER eundem conveniri posse adfirmat. Ita enim rescripsit: *Praeses Provinciae aditus, si fuerit probatum, tuum creditorem, cui jus distrahendi pignora fuit, dolo malo fundum vendidisse: quanti tua interest, restituere tibi eundem creditorem jubebit. Quod si de bonis creditoris condemnati solvi pecunia non potuerit, & probatum fuerit, emtorem mala fide emissi: offrente te pecuniam cum usuris, quanti fundus venit, restituere tibi fundum cum fructibus malae fidei emtorem jubebit.* Sed salua res est, nam GORDIANVS negat in regula emtorem conueniri posse, sed ALEXANDER exceptionem adfert, videlicet si fraudis dolique, qui bonae fidei contractui obest, particeps emitor fuerit, conueniri posse, at saltē in subsidium, si suum id quod interest, a creditore habere nequeat.

§. III.

At alia adest difficultas, quae communem premit opinionem. Adfificant communiter, si post contractam moram, licet omissa sit denunciatio, creditor rem pignoratam vendat, revocari non posse: sed ad interesse tantum agendum. Sed i) ALEXANDER in allegata L. 1. C. *de vendit, pign. agat.* non in universum adfirmsat, sed de eo creditore, cui jus distrahendi pignora fuit. Iam cum lex creditorem obliget, vt mora contracta denunciet debitori, nec velit vendi ante denunciationem, recte adfirmsabitur creditori distrahendi jus non competere,

) (3

hinc

hinc nec eundem ad interest conveniendum, sed potius nullam esse venditionem. Nec aliud statuit GORDIANVS in cit. L. 7. C. de distr. pign. Nam conueniri vult creditorem a laeso debitore vendito pignore, si creditor pignus vendidit, non reuultante lege contractus. Quid ergo: si conuentum sit, ne pignus vendatur, atque trinam omiserit creditor denunciationem & pignus venditum sit, factum est reluctante lege contractus, pacta enim dant contractui legem: magis dici poterit, nullam tunc fore venditionem. Sed ipsam rem clarius exponit ipsemet Imp. GORDIANVS in L. 4. C. si vendit. pign. agat. Rescribit: Cum contra bonam fidem venditionem obligatae possessionis a creditore sacram alleges, non observatis, quae in distrahendis pignoribus celebrari consueverunt (intelligas denunciations) adito praefde prouinciae experiri actione competenti non tantum aduersus CREDITOREM, verum etiam aduersus POSSESSOREM, si fraudem eum participasse cum creditore docere potueris, ut reuocatis, quae mala fide gesta confiterit & fructuum ratio & damni quod irrogatum apparuerit, haberi possit.

§. IV.

Si ergo non observatis, quae in distrahendis pignoribus celebrari consueverunt, reuocari possunt, quae mala fide gesta sunt cum fructibus & damnis datis, venditio tantum subsistit, si de vendendo pignore conuentio adjecta & fraudulenter pignus venditum est. Et in tantum vera est communis opinio. At quas in genere allegant pro ea tuenda leges, haud probant illud, quod ex iis probandum foret, imo magis contrarium affirmant. Sed alia venit causa, videlicet, si creditor rem vendat ante contractam moram, vtrum venditio recte facta sit, vt valeat, an vero & in hoc casu ad interesse agendum sit.


§. V.

§. V.

Rectissime adfirmant in hac proposita specie venditionem nullam esse. Adest naturalis ratio ex negotii qualitate deprompta. Omne enim pignus in securitatem creditoris tantum datur, ut scilicet ex eo suum consequatur, ni debitor soluat. Effectus itaque pignoris pendet ab eo, quod debitor debitum non soluat, sed in mora versetur. Ante ergo quam debitor moram non soluendo contraxit, nec effectus pignoris esse poterit, quippe datum ideo, ut non solvente debitore exinde suum habeat creditor. Cum itaque alienandi jure adhuc destituatur creditor, nulla erit venditio, & recte pignus a debitore vindicari poterit. Rescripsit in hanc opinionem GORDIANVS in L. 8. C. de distr. pign. Si priusquam distraheretur pignorata possessio, pecuniam creditori obtulisti, eoque non accipiente facta contestatione eam depositisti, & hodie quoque in eadem causa permanet, pignoris DISTRACTIO NON VALET. Quod si priusquam offerres, legem venditionis exercuit: quod jure subsistit, revocari non debet.

§. VI.

Iam his præmissis propositae quaestione facillima est decisio: An, si venditum nulliter sit pignus a creditore, debitum sit expunctum. Si recte pignus venditum a creditore, debitum omnino expunctum, si suum consecutus sit creditor, sin minus obligatus manebit debitor autore PAVLO in L. 9. f. de distr. pign. At vero, si nulla sit venditio videndum, vtrum forsan ratam eam postea habeat debitor, & tunc expunctum erit debitum, si suum consecutus sit creditor. At si a debitore revocetur res vendita pignorata, non omnino liberabitur debitor. Nam videndum tunc est, an forsitan creditor nihilominus ex pretio venditionis suum creditum obtainuerit, quod fieri potuisset, si suo



suo periculo emerit tertius possessor: & expunctum videri posset debitum. Contra si creditor i satisfactum non sit atque vendita res vindicetur, quod nulla fuerat venditio, cum pretium restituendum sit eintori a creditore, expunctum non videbitur debitum, neque prius liberabitur, nisi soluto debito. Neque mirum. Pignus enim accessorium tantum jus tribuit. Et licet per alienationem forsan jure pignoris cadat creditor, tamen non aeque creditum amittet, quippe accessorio corruente, ipsum tamen principale negotium adhuc subsistet.



V
D
A8

ULB Halle
002 689 030

3



Farbkarte #13



B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

9027

17449

Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I

A N

V E N D I T O N V L L I T E R
P I G N O R E A C R E D I T O R E
D E B I T U M S I T E X T I N C T U M .

Q V A M
I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G
P R O F E S S. P V B L. O R D. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R. D V I S B V R G E N S.
S O C I O.

I N A V D I T O R I O J V R I D I C O

D I E I X A P R I L. A N N O C I O C C I L X X I I I I .

D E F E N D E T

C A R O L V S G O T T F R I E D F I E D L E R V S

Z S C H O P A V.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A B Ü S C H E L I A .

